



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

225. Feria 2. de subigendo iudicio proprio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 2. Domin. 8. post Pentecost. 405

studebant Sancti tanquam semper victuri, sic vivebant, quasi cras morituri. Quia ad summam scientiam hanc pervenerunt, D. Sylvester, sumptione Sanctorum per visum de manu B. Virginis, & S. Edmundus Cantuariens. cui Venerabile Sacramentum columba in os detulit, & in fractione panis oculi Discipulorum aperti: audiam invitantem me Dominum: *Qui est insipiens, declinet ad me*: quæ verba S. Cyprianus de Venerabili interpretatur.

MEDITATIO CCXXV.

Feria 2. Domin. 8. post Pentecost.

De subigendo iudicio proprio.

Videbo virgulam in obliquum crescentem, quæ ut erigatur recta, in contrarium reflectenda est, & ut iudicium meum perversum ordinetur, inclinandum est in contrarium. Petam illud flecti ad nutum Dei.

Conf. 1. Tria esse impediencia proximè virtutem, & sanctitatem. 1. Est cupiditas inordinata cujuslibet boni externi. 2. Boni corporis proprii. 3. Boni propriæ libertatis, atque iudicij.

Conf. 2. Verba Domini de se loquentis Joann. 6. *Descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, &c.* Si non fecit voluntatem suam, igitur neque secutus est iudicium suum proprium,

406 *Feria 2. Domin. 8. post Pentecost.*
propriū, à principio conceptionis suæ ad
finem vitæ, in rebus quantumvis arduis.
Ideo natus est in loco ab alio sibi designato,
iuit in Ægyptum similiter alterius imperio,
& ex eodem inde redijt, in electione Disci-
pulorum, ait ipse Joan. 17. *Pater, quos dedisti*
mibi. Denique in vita pro nobis relinquēda,
& adhuc in Venerabili, alterius arbitrio
se reliquit.

Conf. 3. Actiones mortificationis proprij
iudicij sunt. 1. Nulli doctrinæ facile assen-
tiri, quam non sapientes Catholici, & Fidei
Ecclesie Fideles aliquando docuerunt. 2.
Institutiones à tota congregatione appro-
batas, magnâ veneratione suscipere, & si quos
videro eas refutantes, ut monstra, & animæ
pestes abominari. 3. Majorum decreta nun-
quam in examen adducere, sed illa, ut tradi-
ta simpliciter intelligere, & ut congrua, ad
usui accommodata, tum opere, tum sensu
retinere. 4. In rebus ad meam vitam & mo-
res pertinentibus, nunquã me ipsum regere,
sed aliorum iudicio gubernari. 5. Res exte-
nas alicujus momenti nunquam sine consi-
lio præueniente disponere. 6. Ea, quæ mi-
noris momenti sunt, si nullum sequatur in-
commodum, potius ex aliorũ iudicio, quam
ex meo perficere. Quia majoris virtutis est
subijci alteri, cujus præsertim defectus agno-
scimus.

MEDI.